
VOTUM

Sex in Sacrâ Theologiâ Magiſtrorum.

DISCUTIUNTUR

Cauſæ, rationes, & momenta, quibus nonnulli Siculos ab obligatione ſervandi Interdictum authoritate Sedis Apoſtolicæ in Siciliâ latum liberos aſſerunt.



Coloniæ Ubiorum.

ANNO CIƆ IƆCC XIV.

Si difficile, & ambiguum apud te judicium esse perspexeris, venies ad Sacerdotes Levitici generis, & ad Judicem, qui fuerit illo tempore, & facies quodcumque dixerint.
Deuteronomii 17.

PEnès Ecclesiam, ac Ecclesiæ Præsules esse potestatem, justis de causis, ferendi censuras, res est adeò comperta, ut probatione non egeat; Id evincunt illa Christi verba, *Matth.* 18.: *Quæcunque alligaveritis, &c.*: Item hæc alia *Apostoli ad Corinth.* 5.: *Auferte malum ex vobis ipsis*: ut explicat S. *Augustinus lib.* 2. *retract. cap.* 17.. Hanc potestatem exercuit idem Apostolus, dum incestuosum Corinthium excommunicavit, ejusdemque rei testis est perpetua, & nusquam interrupta Ecclesiæ praxis: nihil quippè in Annalibus Ecclesiasticis frequentiùs legas, quàm censuras latas in Hæreticos, Schismaticos, ac graviorum criminum reos.

Censuris Ecclesiasticis annumerari Interdictum constat, tùm ex *Innocentio III. cap. Quærenti extrà de verbor. significat.*, ubi tres assignat Censurarum species; Excommunicationem, Suspensionem, Interdictum, tùm ex eo quòd Interdicto plenè conveniat definitio censuræ à Theologis tradi solita. Hujus censuræ vestigia quædam videre est *in Concilio Triburiensi can.* 52., & *Cabilonensi* 2. *can.* 26., meminit ejusdem *Ademarus S. Eparchii Engolismensis Monachus in Chronico ad annum* 994. *de Alduino Lemovicensi Episcopo* scribens: *Sæpè idem Alduinus pro nequitiâ Populi novam observantiam constituit; scilicet Ecclesias, & Monasteria cessare à Divino Cultu, & Sancto Sacrificio, & Populum quasi Paganum, à Divinis laudibus cessare, & hanc observantiam Excommunicationem censebat*: ejusdem censuræ sub Excommunicationis nomine meminerunt *Fulbertus Carnotensis Episcopus epist.* 3. *ad Robertum Regem Francorum*, & *epist.* 93. *ad eumdem Regem*, *Concilium Lemovicense ann.* 1031.; ejusdem meminit sub proprio nomine Interdicti, & Suspensionis à Divino Officio *Ivo Carnotensis alter Episcopus epist.* 3., 50., 62., 264., & 256.; Antè Ivonem verò Interdicti censuram sæpiùs commemorat *Gregorius VII. lib.* 1. *epist.* 81. *lib.* 2., *epist.* 5., & 23., & *lib.* 7., *epist.* 16., & 18.; Perperam itaque, & imperitè quidam scripserunt antè Alexandri III. Pontificatum Interdicti memoriam nullam extare.

Hoc porrò inter alia discriminat Interdictum ab Excommunicatione, quod Excommunicatione percelli nequit Communitas. Interdictum autem ferri potest in totam Communitatem, v. g. in

totam Diœcesim, totam Civitatem, totum Regnum, vt probari potest ex *cap. Quia sæpè, tit. de electione*, & ex *cap. Si sententia*, *tit. de sentent. excommunicat.*. Vtriusque autem discriminis rationem affert *Sanctus Thomas Supplementi quæst.22. art.5.*, ex eo quod excommunicatio sit grauissima pœna, quæ proindè nemini debet inferri, nisi propter propriam culpam: neque sit credibile totam Communitatem in malitiâ colligari. *At verò suspensio*, inquit in responsione ad secundum, *non tanta pœna est*, *quia suspensi non fraudantur Ecclesiæ Suffragijs, sicut excommunicati: Vnde etiam aliquis sine proprio peccato suspenditur, sicut, & totum Regnum ponitur sub Interdicto pro peccato Regis: Et ideò non est simile de excommunicatione, & suspensione, sive Interdicto*. Licèt igitur in Communitate aliqui sint immunes à culpa, satis est, ut rea sit Communitas, immò, ut reum sit caput Communitatis, ut in eam Interdicti sententia ferri possit; nec enim injustum est eos etiam, qui insontes sunt, pœnas aliquas luere, quatenus ad reum aliquo modo pertinent, sicut membra quædam corporis propter alia patiuntur. Ecclesia itaque propter commune bonum, & ad majorem terrorem, horroremque peccati, censuram Interdicti meritò quandoque imponit eis, qui non deliquerunt: atque ob eamdem causam nonnunquam locus Interdicto supponitur in execrationem criminis, & ad excitandum reliquos, ut solliciti sint de reo ad pœnitentiam, & obedientiam Ecclesiæ revocando. Non ergo sunt audiendi, qui praxim Interdicti generalis posterioribus solum sæculis in Ecclesia introductam, vel etiam minus iustam esse dictitare non erubescunt.

Qui Siculos ab observando Interdicto liberos asserunt, triplici maximè inducuntur motivo; Primò metus gravis à laicali potestate incussi, nullo præsertim, ut ajunt, superveniente ex hujusmodi inobservantiâ Jurisdictionis Ecclesiasticę contemptu, vel proximi scandalo. Secundò privilegij cujusdam Monarchię Sicilię olim à Sede Apostolicâ in vim remunerationis concessi. Tertiò auctoritatis Theologorum, qui attentis totius negotij circumstantijs absque peccato, & censuræ ullius incursu Interdictum violari, seu non servari posse edixerunt. Quid rei sit de validitate, sive de sufficientiâ horumce motivorum examinandum, discutiendumque suscipimus.

Metum gravem, qui, ut ajunt, in virum constantem cadat, idest qui virum non timidum, sed fortem, ac propositi tenacem movere capax sit, & efficere, ut à meditato, vel ab incępto opere desistat, hujusmodi, inquam, metum gravem ab incursu, & observantiâ censuræ quandoque excusare, sententia est (fatemur) multorum Theologorum, ac etiam Canonistarum. Verùm partem negativam propugnantes & numero, & rationum pondere haud esse

infe-

inferiores facilè perspexerit quisquis Theologos, ac Canonistas, qui hoc de argumento scripserunt, consulere voluerit. Longior sim, si singulorum & nomina appellem, & verba transcribam; unum igitur, aut alterum laudasse satis erit, quo certè palam fiat, litem esse inter Theologos, atque Canonistas minimè definitam, sed sub dubio relictam, num metus gravis excuset ab incursu, & observantiâ censuræ.

Dominicus Soto in 4. sentent. dist. 22. quæst. prima art. 4.: Dubium, inquit, *tandem hic præcipuum restat, utrum metus mortis hominem excuset, ut citra peccatum liceat cum quocunque Excommunicato communicare, & causa dubitandi est, quod videtur Innocentius, cap. Sacris, de ijs quæ vi, metusve causa fiunt, partem negativam definire: videlicèt, quod pro nullo metu debet quis cum Excommunicatis communicare, quia pro nullo metu debet quis peccatum mortale incurrere . . . . . . quæstio est, de qua plurimum inter Doctores controversatur. Adrianus enim in illâ citatâ quæstione de Clavibus, contendit nullum metum mortis excusare, quominus peccatum sit communicare cum Excommunicatis, in quorum sententiam plures Iurisconsultorum refert, quia videtur esse apud eos opinio communis.*

Suarez de Censuris disput. 4. sect. 3. citatis pro parte negativâ Auctoribus, eam pariter communem appellat; *Hanc*, inquit, *communem sententiam tenet Adrianus, Covarruvias in cap. Alma Mater, &c.*

Comitolus in Responsis moralibus præsentem difficultatem tractans: *De hoc*, inquit, *duæ pugnantes inter se, & non levium Auctorum diffident opiniones: una est eorum, qui nulli metui justam excusationis veniam dandam esse putaverunt, sed isto modo communicantem & scelere, & pænâ Excommunicationis minoris condemnant. In horum cœtu Doctorum major pars est Pontificii Iuris explanatorum, maximè in cap. Sacris, de iis, quæ vi, metusvè causâ fiunt, ut Ostiensis, Ioannes Andreas, Anton. de Butrio, Panormitanus: Cum his ex Thelogis se consociarunt Alexander Hales in 4. part. quæst. 22. memb. primo artic. 6., Durandus dist. 18. quæst. 5. ad 3., Adrianus in 3. quæst. de Clavibus, & quodlib. primo artic. 3. ad 5., Ocham, ut testis est Gabriel in 4. sent. distinct. 18. quæst. 3. artic. 3. dub. 4., Gabr., qui sequitur Ocham loco citato, Cajetanus in Summâ, &c.*

Leander tom. 4. tract. primo de Censuris pro eâdem sententiâ præter *Durandum, Cajetanum, Adrianum*, laudat etiam *Astensem lib. 3. tit. 11., Alensem par. 4. quæst. 23. memb. primo art. 6. §. 2., & Ugolinum de Censuris tab. 2. cap. 23. n. 4.*. Videatur etiam *Barbos. in cap. Sacris*, ubi multos citat Canonistas eidem sententię subscribentes. Quibus palàm fit rem esse non omninò certam, sed valdè dubiam, num metus gravis excuset ab incursu, & observantiâ censuræ;

 imò

imò non excusare longè probabilius, ne dicam omninò certum, unicuiq; videri debet, attenta in primis determinatione *Innoc. III. cap. Sacris, de iis, quæ vi, metusvè causâ fiunt*; ubi sìc loquitur: *Distinguimus autem utrum is, qui communicat Excommunicatis, invitus sit per coactionem adstrictus, aut per metum inductus. In primo casu talem non credimus Excommunicatione teneri, cùm magis pati, quàm agere convincatur. In secundo, licèt metus attenuet culpam, quia tamen non eam prorsus excludit, cùm pro nullo metu debeat quis mortale peccatum incurrere, Excommunicationis labe credimus inquinari*.

Adverte Pontificem in illo Canone loqui de incursu, & observantiâ censuræ, nempè de participatione cum Excommunicato, quam sub Excommunicationis pœnâ prohibitam Sacri Canones decernunt. Adverte rursus causam in Canone assignatam, cur ille, qui metu inductus ad communicandum cum Excommunicato censendus sit Excommunicationis labe inquinari, eam esse, quod pro nullo metu debeat quis mortale peccatum incurrere. Supponit igitur censuræ violationem, etiam quocunque metu interveniente, semper esse mortale peccatum, proindeque metum, quamtumlibet gravem, ab observantia, atque incursu censuræ nunquam liberare.

Hìc certè audiendus venit *Sanctus Thomas Supplementi quæst. 23. art. 3.*, vbi inquirit, utrum participare cum Excommunicato in casibus non concessis semper sit peccatum mortale. Et respondet probabilius videri, quod qui participat cum Excommunicato, solum peccet mortaliter, quando in crimine ei participat, vel in Divinis, vel in contemptum Ecclesiæ. Contra autem sibi primo loco obiicit Canonem mox laudatum, ex quo videtur concludi participationem cum Excommunicato semper esse peccatum mortale; Cui obiectioni respondet, *quod Decretalis illa loquitur de participatione in Divinis*. Ex quo patet, mentem esse Sancti Doctoris, quocunque metu etiam interveniente, semper esse peccatum mortale, nec unquam licitum fieri participare in Divinis cum Excommunicato. Quare autem participare in Divinis cum Excommunicato sit semper peccatum mortale, non autem participare in verbo, in cibo, & alijs similibus, explicat *S. Doctor in responsione ad secundum*: *Dicendum*, inquit, *quod præceptum Ecclesiæ directè respicit spiritualia, & ex consequenti legitimos actus; Et ideo qui communicat ei in Divinis, facit contra præceptum, & mortaliter peccat; Qui autem participat in aliis, facit præter præceptum, & peccat venialiter*. Ex quibus omnibus peremptoriè, ut existimo, potest evinci metum, quantumlibet gravem, non excusare ab observantia Interdicti legitimè lati; Nam iuxta Sanctum Thomam participatio in Divinis cum Excommunicato ideo semper est

mor-

mortale peccatum, nulloque metu etiam gravissimo potest fieri licita, quia est contra præceptum Ecclesiæ, quod directè respicit Spiritualia: atqui violare interdictum, publicè v. g. Missam celebrando, & Choro assistendo, est itidem contra præceptum Ecclesiæ, quod etiam directè respicit Spiritualia: Sicut ergo qui Excommunicationis censuram violat, participando in Divinis cum Excommunicato, ita peccat mortaliter, ut nullo metu excusari possit: sic qui Interdictum violat, publicè Missam celebrando, & Choro assistendo.

Hoc argumentum profectò demonstrativum est. Sed esto tale non sit, quis, amabo, ex Thelogorum, Canonistarumve supra memorato dissidio prudenter saltem non dubitet, num revera metus gravis ab incursu, & observantiâ Censuræ excuset? Quo in casu certè locum habet famosa regula Juris, *in dubiis pars tutior est eligenda*: pars autem tutior est, in quâ eligenda certum est nullum esse peccatum. Item præclara *S. Thomæ* doctrina *quodlib. 9. quæst. 7. art. 2.*, ubi asserit, quod *omnis quæstio, in quâ de mortali peccato quæritur, nisi expressè veritas habeatur, periculosè determinatur .... præcipuè autem ubi veritas ambigua est*, idest, ut explicat paulò antea, ubi inveniuntur Theologi Theologis, & Juristæ Juristis contraria sentientes. Quam doctrinam confirmat *quodlib. 5. quæst. 6. art. 3.*, ubi dicit, quod si manente dubio de bonitate, vel malitiâ alicujus actionis, aliquis actionem illam facit, periculo se committit, *& sic proculdubio peccat*.

Sed pergamus ulterius, atque gratis concedamus certum omninò, atque indubitatum esse id, quod ad minus valde dubium, atque inter Theologos valdè litigiosum esse constat. Negari saltem non potest unam esse, ac concordem Theologorum omnium, atque Canonistarum sententiam Leges tam Ecclesiasticas, quàm Civiles, spreto quocunque, & quantumlibet gravi, ipsius etiam mortis periculo, esse servandas, ubi ex illarum violatione damnum aliquod obveniret publico, & communi Reipublicæ bono, sivè quando Legis, vel mandati observantia necessaria est ad boni communis vel conservationem, vel promotionem: *Estque*, inquit, *Sylvius quæst. 96. art. 4. hæc sententia communis apud Sotum, Medinam, Vasquez disput. 161. cap. 2., Azorium tom. primo lib. 1. cap. 11., Sayrum lib. 3. cap. 7., Becanum, Tannerum, Puteanum, plerosque alios*; hâc certè ratione tenetur miles in bello, jubente Duce, stationem non deserere, excubias agere, hostiles muros ascendere, etiamsi in his omnibus præsentissimum adsit vitæ periculum. Hâc eâdem ratione potest Episcopus sibi subdito Sacerdoti præcipere, ut pestiferis Sacra ministret, ut Fidem confiteatur, ac prædicet, non obstante persecutorum rabie. Hinc quoque non ultimi subsellii Theologi concludunt Cartusianum in-

supremo vitæ discrimine constitutum non solùm posse licitè à carnibus abstinere, sed etiam ad id teneri; quia majoris momenti est conservatio observantiæ strictioris, ac disciplinæ Regularis in toto Cartusianorum Ordine, quàm vita unius Cartusiani.

Fallitur porrò, totoque ostio à vero aberrat, quisquis hocce in negotio putat nullum communi Ecclesiæ bono imminere periculum; quis enim non videat causam agi toti Ecclesiæ communem, eamque gravissimi momenti, ubi de Jurisdictionis Ecclesiasticæ finibus propugnandis, deque Ecclesiæ juribus, immunitatibus, ac prærogatiuis in tuto ponendis tractatur? An non, si ad hodiernam illorum in Sicilia infractionem, eversionem, & per potestatem laicalem usurpationem sileat Ecclesia, meritò timendum est, ne pravo hoc exemplo alii audaciores ad ea sibi etiam vindicanda evadant; Sicque sensim sine sensu in cinerem, fumumque evanescant præclara hæc Ecclesiæ à Deo concessa privilegia, præsertim in hac temporum calamitate, in quâ, ut rectè ait *Vargas de Ep'sc. Iur'sdic. confirmat.* 13. Hæretici summa imis confundere nituntur, ut Romanum Pontificem, & Apostolicam Sedem evertant.

Verùm seposito nonnihil hocce negotio, datoque, & non concesso, quod in hac contentione periculum nullum subeat commune Ecclesiæ bonum: Videamus an non ipsa Interdicti violatio per se detrimentum afferat communi huic Ecclesiæ bono. Afferre profectò non dubitamus, ac facilè palam evincimus.

Id sanè notissimum est censuras, ac in primis Interdictum, Ecclesiæ necessarias esse, potissimum ad eos in officio continendum, qui vel Ecclesiastica jura occupare, vel Ecclesiasticam Jurisdictionem impedire, vel potestate sibi tradita contra Sacrorum Canonum dispositionem, & in præiudicium spirituale aliorum abuti pertinaciter attentaverint. *Interdictum*, inquit, *Dominicus Soto in 4. sentent. distinct. 22. quæst. 3. art. 1., legitimè positum res est Ecclesia gubernaculo necessaria: Nam, etsi Excommunicatio pœna sit, quâ Ecclesia majorem non habeat; tamen quando quis obstinato animo in ipsa recrudescit, condecens est, ut eadem Ecclesia sensum mæroris, & tristitiæ repræsentet, & quasi totum Populum indignatione aduersus eum commoveat, & à jure, quod habet, Sacra audiendi suspendat, ut vel illa Populi indignatione, & Sacrorum silentio perterrefactus ille resipiscat.* An non porrò corruet prorsus remedii salutaris usus, & praxis, si Populi pœnarum metu graviter attoniti, Interdictum violare sine culpa, & alicujus gravioris censuræ incursu se posse, sibi in animum induxerint? Quis Princeps hâc viâ, utique sibi ad manum semper præsente, Ecclesiastici Interdicti fulmen pro suo libito non eludet, ne dicam non contemnet? ad nihilum certè

vale-

valebit ultrà usus ille clavium, quos Ecclesiæ suæ Sponsæ tradidit Christus, indeque exurget maximum Ecclesiæ, atque Ecclesiasticę Disciplinę detrimentum. Concludendum igitur Siculis, sub prætextu metus gravis, Interdicti violationem non posse fieri licitam.

Sed est & alter casus, in quo Lex observanda est, quolibet, etiam ipsius vitæ posthabito periculo, nempè quando grave periculum, quod imminet ex observantia Legis, sequitur ex actione, quæ Lege præcipitur, & ei connexum est, vel saltem à Legislatore prævideri potuit, & nihilominùs præcepti, vel Legis observationi insistit. Atque hæc doctrina censeri debet omnium Theologorum, & Canonistarum inconcussa. Cujus ratio evidentissima, atque constantissima hæc est, quod scilicet in tali casu nemo non præsumere debet pluris importare Legis, vel præcepti observantiam ad commune bonum vel conservandum, vel promovendum, quàm imminentium sibi malorum, ac ipsius etiam mortis tolerantiam. Cùm enim ad Legislatorem, seu Superiorem pertineat judicare de casibus illis, in quibus bonum commune in discrimen adductum boni particularis dispendio opus habet conservari, vel promoveri, prudenter quisque credere debet casum hujusmodi præsentem adesse, dum cernit id sibi Lege præcipi, quod absque gravis mali, vel etiam absque ipsius mortis periculo ab ipsomet quoque Legislatore non ignorato, sed prævisso fieri nequit.

Porrò ejusmodi casum in causâ, quam pertractamus, locum habuisse, adeò apertum est, ut nulla tergiversatione possit negari, vel etiam in dubium revocari; esto enim tale periculum non sequatur ex actione ipsâ, sivè ex observantiâ Interdicti; illud tamen quantum, & qualecunque fuit in præsenti rerum negotio, & prævidere potuit Summus Legislator Pontifex Maximus, & re ipsâ prævidit, ut manifestum fit, tum ex eo quod palàm declaravit se velle, & intendere justis de causis hocce Interdictum prorsùs, atque omninò ab omnibus observandum esse, etiam postquam scivit, & vidit nonnullos propterea in exilium amandatos fuisse Episcopos, ac Viros alios Ecclesiasticos; tum quia idem Interdictum primum ab Episcopis latum, auctoritate Apostolicâ confirmavit, atque in ejusdem Interdicti refractarios, tum præcipuè in contumacem Monarchiæ Siciliensis, ut vocant, Judicem bina Excommunicationis fulmina non ita pridem vibravit.

His proculdubiò rationibus, ac momentis inducti, ac convicti Patres Societatis JESU elegerunt olìm potiùs à totâ Venetorum ditione exules in perpetuum fieri, quàm latum in eorumdem Venetorum Rempublicam à Paulo V. Interdictum violare.

Liceat igitur nobis ex hactenùs dictis concludere Siculos ratione metus incussi, etiamsi gravissimus esset, non excusari ab observantiâ Censuræ Pontificiæ, atque perperàm metum hujusmodi ab aliquibus obtrudi, ut Interdicto in ipsos justis de causis lato impunè refragentur, & petulanter obstrepant.

Id ipsum longè manifestissimum fiet, ubi demonstratum fuerit in hujus Interdicti violatione contemptum Jurisdictionis Ecclesiasticæ intervenisse gravissimum. Doctrina est certè, quam nullus vel Theologus, vel Canonista audeat revocare in dubium, Leges humanas obligare etiam cum periculo vitæ, quando violatio Legis cederet in contemptum Fidei, aut Religionis, aut Ecclesiasticæ potestatis, quia pluris refert Fidem, Religionem, & Ecclesiasticam potestatem non contemni, quàm vitam corporalem conservari. Quapropter si cui metus mortis incutiatur, nisi carnes in die jejunii comedat, vel nisi Missam audire prætermittat, vel nisi Sacrum celebret coram Excommunicato, & hoc fiat in contemptum Fidei, vel Religionis, vel potestatis Ecclesiasticæ, sivè ad ostendendum Fidem nostram, aut Leges Ecclesiasticas nullius esse roboris, & idcircò non esse curandas, mortem subire oportet potiùs, quàm tùnc contra Leges humanas agere. Porrò nonnè manifestum Interdicti Pontificii, Romanique Pontificis Interdicti Auctoris contemptum arguit, eos,qui Christianos sese, atque cum Romanâ Sede stricto fœdere conjunctos jactitant, quique eo nomine, & Legibus Ecclesiæ obedientiam præstare,& Decreta Sedis Apostolicæ prono capite adorare tenentur: eos, inquam, erectâ cervice, datâ operâ, scientes, & volentes, ut hodiernâ die Siculi factitant, nolle mandatis Supremi Ecclesiæ Præsulis, ejusque Interdicto obtemperare? Quid amabo, hìc agendi modus sonat, quàm Ecclesiam, Ecclesiæ Leges,Supremum ipsum Ecclesiæ Caput parvifacere? Quâ in re quanto scelere sese obstringant, colligere licet ex his Christi verbis *Lucæ* 10.: *Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit*, & *Matth.* 18.; *Si Ecclesiam non audierit*, idest, ut exponit *Chrysostomus*, si Ecclesiæ Prælato non obedierit, *sit tibi sicut Ethnicus*, *&* *Publicanus*. Undè jure meritò *Nicolaus Papa* relatus *in Can. Hâc consonâ* 25. *quæst.*1.: *Si quis*, inquit, *Dogmata*, *Mandata*, *Interdicta*, *Sanctiones*,*vel Decreta*, *pro Catholicæ Fidei disciplinâ*, *pro correctione Fidelium*, *pro emendatione Sceleratorum*,*à Sedis Apostolicæ Præsule salubriter promulgata contempserit*, *anathema sit*.

Deinde nonne manifestum Pontificiæ sententiæ, & auctoritatis contemptum sapit,posthabitâ eâ, quæ debetur Summo Pontifici,obedientiâ, velle Magistratus Sæcularis, vel prætensæ Monarchiæ Iudicis mandatis perperàm obsequi? Quid quæso hoc aliud est, quàm Ecclesiæ potestatem velle sæculi potestatibus, ac legibus

subii-

subiicere, & Romani Pontificis auctoritatem in Magistratus, vel Iudices Sæculares infrunitè transferre, quod maximus Pontificiæ Jurisdictionis, & potestatis contemptus est, haudque levis injuria. Porrò Siculi contumaces hoc pacto in Summum Pontificem, eiusque Interdictum se se gerunt; in manifestum igitur Pontificiæ Sententiæ, & auctoritatis contemptum impingunt. Liceat itaque nobis hìc laudare Canonem, *certum est*, in quo Felix Papa Tertius Imperatorem sic compellat: *Certum est rebus vestris esse salutare, ut cum de causis Dei agitur, iuxta ipsius Constitutionem, Regiam voluntatem Sacerdotibus Christi studeatis subdere, non præferre, & Sacrosancta per eorum Præsules potius discere, quàm docere: Ecclesiasticam formam sequi, non huic humanitus sequenda jura præfigere, neque eius Sanctionibus velle dominari: ne dum mensura cœlestis dispositionis exceditur, eatur in contumeliam disponentis.*

Sed, & Adrianus Papa eius nominis Primus *registr. 22. quæst. 1. cap. Generali decreto*: *Generali*, inquit, *decreto constituimus, ut execrandum anathema sit, & veluti prævaricator Catholicæ Fidei semper apud Deum reus existat, quicunque Regum, seù Episcoporum, vel Potentum, deinceps Romanorum Pontificum Decretorum censuram in quocunque crediderit, vel permiserit violandam.* Atqui hoc modo censuram, & Decreta Apostolicæ Sedis audaci nimium fronte vilipendunt Siculi, cum eius Sententiam, quæ sanè juridica est, & justissima, nullam esse clamitant, cum Episcopos, & alios Viros Ecclesiasticos, qui Summi Pontificis Interdicto morem gerunt, malè habent, ac in exilium ablegant, minasque intentant, ut alios ad eius transgressionem adigant. Quod certè cum summo Ecclesiasticæ Jurisdictionis contemptu, ac dedecore fieri nemo non videt. Audiendus hâc super re etiam Gregorius Papa IX. relatus *in cap. Tanta est clavis Petri, de excessibus Prælatorum*, vbi Archiepiscopum Bracarensem sic alloquitur: *Ad confusionem P. quondam Episcopi Columb. non potest in memoriam non venire, quantum in nos, & in Romanam Ecclesiam deliquerit, despexerit Petri claves, & Ecclesiasticam læserit potestatem, cum non solum Interdicti sententiam, quam servaverat ab initio, temerè violaverit: verùm etiam induxit alios, imò compulit non seruare.*

Quid plura? Ecquis amabo, atque quo titulo, quâ specie, quo prætextu eos à tetrâ contemptus labe vindicare queat, qui Apostolicæ Sedis sententiam, censuram, judicia sub aleam vocare suam, ausu temerario præsumunt, qui Ministris laicis Religionis, & Ecclesiæ negotia discutienda, tractandaque committere non dubitant: Cum id ad Ecclesiæ Præsules, Romanumque in primis Pontificem spectare, totius Orbis Catholici consensione, sæculorum omnium usu firmatâ constet: dicente etiam Joanne Papâ *cap. Si*

 Im-

Imperator 96. distinct.: Ad Sacerdotes enim Deus voluit, quæ Ecclesiæ disponenda sunt, pertinere, non ad sæculi potestates, quas, si fideles sunt, Ecclesiæ suæ Sacerdotibus voluit esse subjectas. Unde *Sotus in 4. distinct. 25. quæst. 2.*, scitè affirmat, quod sæculares Principes cohibiti sunt Iure Divino de illis judicare. Sed rogare vellemus, num in toto Siciliæ Regno vel unum reperire sit hominem, quantalibet etiam auctoritate pollentem, cui satis esset animi, ne dicamus audaciæ, ut in casu huic non absimili Subditum Principis aliquem, quantumuis privilegiatum, protegeret, si fortè subditus ille Principi seriò rem aliquam præcipienti, non solum obedire detrectaret, sed & titulo sui privilegij, Principe reluctante, illius jura inuaderet, aliosque, quà minis, quà etiam pœnis, à debitâ Principi obedientiâ averteret? auderet ne quis palam dicere id posse fieri à subdito illo sine omni prorsus contemptu, sine scandalo, sine ullâ vel minimâ offensa, aut culpâ? An non potius hunc, tanquam læsæ, ac contemptæ Majestatis reum traduceret, atque fortasse etiam capitis pœnâ plectendum condemnaret? id si attentare nullus audeat, cum agitur de debitâ Sæculari Principi obedientiâ, cur audent pro fovendâ in Supremum Ecclesiæ Principem, ac Præsulem rebellione? Est igitur apud ipsos potior Principis in ditione suâ auctoritas, quàm Romani Pontificis in Ecclesiâ: eritque (si eis fides) iste præ illo majori dignus veneratione, & reverentiâ.

Hic certè desiderandum esset quàm maximè, ut omnes seriò perpenderent, atque executioni sedulò mandarent, quod Carolus Magnus cunctis Fidelibus commendatum voluit *in suis Capitularibus lib. 5. cap. 110.*: *Necessarium judicavimus*, inquit, *omnibus præcipere, ut honorem debitum Venerabilibus Episcopis, absque ullâ simulatione, ac detractione impendant, eisque in omnibus, ut Patribus obediant, & quidquid pro salute animarum monuerint, proùt meliùs potuerint, adimplere satagant*. Item id, quod Gelasius hujus nominis Papa Primus *epist. 490.* ad Anastasium Imperatorem dedit, preclarum documentum; *Nosti Fili Clementissime*, inquit, *quod licèt præsideas humano generi dignitate rerum humanarum, tamen Præsulibus Divinarum rerum devotus colla submittis, atque ab iis causas tuæ salutis expetis; inque sumendis Cœlestibus Sacramentis, eisque, ut competit, disponendis, subdi te debere cognoscis Religionis ordine, potius quam præesse: atque inter hæc ex illorum te pendere judicio, non illos ad tuam velle redigi voluntatem*. Ut quoque perspectum habeant quanto peccato, quantâve pœnâ hocce in negotio sese obstrinxerint quotquot Interdictum violare, vel nè servaretur, impedire præsumpserunt, attendant ad Decretum, quod Sacro approbante Generali Concilio Viennensi, edidit *Clemens Quintus lib.*

lib. 6. Clementin. tit. de Sentent. Excommunicationis, his verbis conceptum : *Gravis ad nos querela perduxit, quod Nobiles quidam, & Domini Temporales, Terris eorum Ecclesiastico suppositis Interdicto, nedum in Locorum suorum Capellis, sed & in Collegiatis, & aliis insignium Locorum Ecclesijs Missas, & alia Divina Officia publicè, & solemniter faciunt celebrari, ad Officia eadem celebranda nunc hos, nunc illos vocantes, & interdum, quod est deterius, compellentes . . . . . Ne igitur excessus sic graves excedentium impunitate trahantur ab aliis in exemplum, præsumptores præfatos, qui in Locis Interdicto suppositis quemquam de cætero Divina celebrare Officia quomodolibet cogere, aut qui modo prædicto ad eadem Officia audienda aliquos, Excommunicationis præsertim, vel Interdicti ligatos sententiâ, vocare præsumpserint, Excommunicationis sententiâ, à qua per Sedem dumtaxàt Apostolicam possint absolvi, Sacro approbante Concilio innodamus.*

Sed agè videamus etiam, an non hoc quoque in negotio fuerit scandalum. Scandalum à *S. Thoma 2. 2. quæst. 43. artic. primo* definitur : *Dictum, vel factum minus rectum, præbens alteri occasionem ruinæ*, Spiritualis scilicet : *in quantum nempè aliquis suâ admonitione, vel inductione, aut exemplo alterum trahit ad peccandum.* Hujus peccati gravitatem collige ex istis Christi verbis *Matth. 18.* : *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum Maris.* Ad rationem porrò scandali haud necesse est, quod illud, unde aliquis scandalum sumit, sit secundum se malum, sicut peccatum, sed sufficit, ut habeat speciem mali, sicut cùm aliquis recumbit in Idolio, idest in loco, ubi comeduntur Idolothita, sivè carnes Idolis immolatæ. *Quamvis enim*, inquit, Sanctus Doctor loco mox citato in responsione ad secundum : *Hoc secundum se non sit peccatum, si aliquis hoc non corruptâ intentione faciat, tamen quia habet quamdam speciem mali, vel similitudinem venerationis Idoli, potest alteri præbere occasionem ruinæ*, & ideò Apostolus monet *ad Tessalon. 5. ab omni specie mali abstinete vos*. Indè promptum est, ac facile ostendere scandali gravissimi reos existere Siculos, quotquot Ecclesiasticum Interdictum vel observare renuunt, vel ne observetur, impediunt; quis enim sibi in animum inducat, quod Plebs videns tantâ animositate, & impunitate palàm, publicè, cum contemptu violari Ecclesiasticas Censuras, ac despectui haberi mandata Pontificia, etiam ab iis, qui positi sunt in eorum custodiam, saltem non suspicetur Censuras, & Leges Ecclesiasticas nullius, vel exigui esse roboris, atque hoc pacto ad eas & contemnendas, & sine scrupulo violandas non fiat audacior ? Undè amabo exorta schismata

ta Ecclesiæ Unitati adeò perniciosa? Undè Regnorum à Fide, & ab Ecclesiâ defectiones? Undè hæreses, ac infinita Ecclesiæ mala, quorum omnium & memoria adhuc recens, & historiæ nostræ plenam fidem faciunt: nonnè ex minori erga Apostolicam Sedem reverentiâ, ex faciliori Pontificiarum Censurarum violatione, ex susceptis majori cum devotione Regum, ac Principum, quàm Ecclesiæ Prælatorum mandatis? *Neque enim*, inquit *Sanctus Cyprianus lib.primo epist.3.* ad Cornelium Papam scribens: *Neque enim aliundè hæreses ortæ sunt, aut natæ sunt schismata, quàm inde quod Sacerdoti Dei non obtemperetur, nec unus in Ecclesiâ ad tempus Sacerdos, & ad tempus Iudex vice Christi cogitatur.*

Certè si,ut docet S. Thomas,ad rationem scandali satis est actionem, aliunde de se bonam, speciem aliquam habere mali, quâ ratione Apostolus; ad *Corinth.* 8. *Si esca*, inquiebat,*scandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum, ne fratrem meum scandalizem*; An fortasse Siculi negare poterunt hoc, quod est violare Interdictum, & modis omnibus etiam illicitis efficere, ut violetur, speciem saltem habere mali? proindeque fieri non posse sine scandalo? Sed inquiunt, cessat hujusmodi scandalum, dum in publicum datur doctrina, quæ lati Interdicti violationem justificat. Benè est. Sed quid, si ipsi passione, vel aliâ aliquâ causâ movente præoccupati, existiment sufficientem, ac justam sui facti rationem, quæ revera insufficiens sit, & injusta: an etiam tunc cessabit scandalum? Quid, si apud multos malè audiat,quod Ministri Regni Siciliæ Interdicti violationem procurantes, se ipsos Iudices faciant in propriâ suâ Causâ? Quid,si pusilli multi rationem illam non capiunt, vel ob hebetudinem mentis, vel ob aliam rationem magis eis apparentem, vel ob pristinam consuetudinem? Quo casu monet Cajetanus esse abstinendum etiam à Spiritualibus Bonis non necessariis, à fortiori ab iis, quæ ad minus speciem habent mali, donec ejusmodi plenius informentur. Quid tandem, si pensatis, ac libratis utrimque momentis,res apud multos adhuc dubia remaneat? Cum in dubijs semper sit obediendum Superiori, non potuerunt profectò sine scandalo impedire, ne Interdictum à legitimo Superiore latum obseruaretur. Unde *S. Thomas quodlib.4. quæst.* 8. *art.3.* docet in casu Excommunicationis dubiæ standum potius esse sententiæ Judicum, quàm aliorum Doctorum: *Si ambiguum*, inquit, *oriatur post concordem Iudicum determinationem, magis standum est sententiæ Iudicum, duplici ratione. Primo quidem quia Iudices sollicitius discutientes negotium, plenius possunt percipere veritatem, etiamsi sint minus Periti, quàm alii, qui perfunctoriè constituuntur, & extraordinariè. Secundo quia hoc esset*

in

in magnum nocumentum utilitatis communis status hominum, si sententiæ non staretur, sed quilibet pro suo libito vellet sententiæ calumniam ingerere, quia sic litigia essent interminabilia, & ideo in tali casu magis est standum sententiæ Iudicum, nisi fortè sit per appellationem suspensa.

Unum est profectò, quod à nemine negari, vel in dubium potest revocari, nempè in hoc deliquisse, ac gravi scandalo occasionem præbuisse eos, qui ne Interdictum seruaretur, effecerunt, quod statim propriâ auctoritate id effecerint: debuerant sanè ad cautelam absolutionem ab Interdicto petere, eâque obtenta, seruato debito moderamine, ac cum debitâ Ecclesiæ Capiti reverentiâ jus suum (si quod habebant) tueri: Hic enim ordinarius est, ac irreprehensibilis in similibus casibus procedendi modus, quem qui prætereunt, Superioris auctoritatem palam, & cum scandalo videntur contemnere. Hanc regulam tradit *S. Raymundus lib.3. §.33.*: *Teneas ergo, inquit, circa sententiam Excommunicationis indubitanter, quod sivè sit injusta ex animo, sivè ex causa, sivè ex ordine, sivè ex animo, causa, & ordine simul, tenet, & ligat quantum ad Ecclesiam militantem, dum tamen lata sit ab illo, qui habebat super hoc Canonicam Iurisdictionem: quod probatur apertè causa XI. quæst.3. Can. si Episcopus, fallit in duobus casibus; Unus est, quando est lata post appellationem legitimam, alius quando continet intolerabilem errorem: quibus in casibus ad probationem eorum, etiamsi absolutionem petant, debent admitti; Sed donec de ipsis constiterit, in aliis evitari, quanquam tales Sedes Apostolica consueverit absolvere ad cautelam; Verùm in aliis, nisi gratiam absolutionis implorent, non debent audiri, ne Sententiam Apostolicam contemnere videantur* Extra. de Sentent. Excommunicationis *cap. Per tuas.*

Cæterùm videndum non nihil quid rei sit de rationibus Interdicti violationem, ut inquiunt, justificantibus, ad quarum publicationem scandalum omne cessare volunt. Has ad duo capita reducunt, nempè ad Privilegia quædam, quæ Monarchiæ Siculæ ab Apostolicâ Sede in vim remunerationis dicunt fuisse concessa, & ad responsa Theologorum, quos hâc super re consuluerunt.

Verùm quæcunque, & quantacunque sint, aut etiam esse possint isthæc Privilegia, unum asserimus fidentissimè, ea nusquam posse subsistere, ubi contra præcipua Ecclesiæ Romanæ Jura semel constabit esse disposita: Nam, ut (referente *Baronio tom. XI.* Annalium Ecclesiasticorum ad Annum 1097.) egregiè Desiderius Cardinalis, insignis Abbas Cassinensis, postea Victor Papa Tertius, vigore planè Sacerdotali, Henrico Imperatori Jura Ecclesiastica invadenti in faciem objecit: *Sedes Apostolica*

ſtolica. Domina eſt noſtra, non ancilla, nec alicui ſubdita, ſed omnibus prælata: & ideò nullâ omninò ratione ſub jugum à quoquam mitti poteſt. Quod ſi à Nicolao Papâ factum eſt, (ſcilicet ut arbitrium Imperatoris expectaretur in electione Romani Pontificis, quod falsò prætendebatur) *injuſtè profectò, & temerè præſumptum eſt; non tamen cujuſdam ſtultitiâ, & temeritate amittit Eccleſia Dignitatem ſuam.* Hinc (referente adhuc ibidem *Baronio*) Sanctus Brunus Epiſcopus Signiæ, ac cum eo plurimi alii Epiſcopi, & Cardinales in Concilio Romano coegerunt Paſchalem Papam Secundum revocare, quæ contra Eccleſiæ Romanę Jura promiſiſſet Henrico Imperatori.

Enim verò quis neſciat Privilegia ab Apoſtolicâ Sede collata non debere contra eamdem Apoſtolicam Sedem militare? Sic *Apoſtolica Sedes*, inquit Nicolaus Papa Primus, idemque Sanctus, in Decretali, quam ſcripſit ad Henricum Archiepiſcopum Turonenſem, ubi agit de Privilegio ab Apoſtolicâ Sede conceſſo Remenſi Eccleſiæ, quo ejus Archiepiſcopus Hincmarus contra ipſam abutebatur; *Sic Apoſtolica Sedes aliena jura cuſtodit, ut ſua non minuat; ſic honorem debitum dat, ut ſuum non tribuat alienis: nam, & arma illi à nobis collata ita volumus, ut pro eo ſint valida, ut potiùs pro nobis, ubi neceſſe eſt, non contra nos firmitatem obtineant.* Nemo autem non videt contra Apoſtolicæ Sedis Jura manifeſtè fore diſpoſita, atque contra Romanam Eccleſiam militatura ea Privilegia, quibus concederetur poteſtas pro libito Cenſuras, & mandata Pontificia reſcindendi, eaque nulla, & irrita reddendi; Quid enim hoc aliud eſſet, quàm conceſſam Eccleſiæ Divinitus auctoritatem labefactare penitùs, atque ad nihilum redigere? Quid hoc aliud eſſet, quàm datam Eccleſiæ ab alto ligandi, atque ſolvendi poteſtatem in alium totaliter transferre, ſeu potiùs radicitùs extirpare.

Præclarum eſt, atque ad rem noſtram valde opportunum, ideoque hic minimè omittendum id, quod refert *Spondanus in continuatione Annalium Baronij ad annum* 1571. *fol.*720. *num.*5., ubi ſcribit de Sancto Pontifice Pio Quinto, quod eodem anno, qui erat Pontificatus ſui ſextus, miſit Odeſcalcum Epiſcopum Pennenſem cum titulo Nuncii Apoſtolici Regni Siculi citra, & ultra Pharum, ideſt utriuſque Siciliæ. Querebantur Miniſtri Regis Catholici id eſſe contra Monarchiæ Jura, & Privilegia, quibus Reges ſuos, ex Privilegio Apoſtolico, Legatos in toto Regno Siciliæ natos eſſe obtendebant. Pontifex autem Sanctiſſimus, ac Eccleſiaſticæ Juriſdictionis Zelantiſſimus reſpondit, pravilegia hæc potius dicenda eſſe, quàm privilegia: videre ſe ea paſſim malè uſurpari, indeque multa fieri contra jura ſive humana,

ſive

sive Divina, & quicunque niteretur aliquibus privilegiis, debere illa proferre, cum præsertim Pontifex Summus sit solus, & legitimus privilegiorum ab aliis concessorum, & Interpres, & Judex, qui ubicunque errata, & offensiones compererit, pro suo munere debeat absque alio Censore, & examinatore eis providere.

Æquissimum sanè esse istud Sancti Pontificis responsum, illudque ab omnibus excipiendum, plenam fidem faciunt Canonistæ omnes unâ voce id ipsum asserentes, nempè ad solum Romanum Antistitem pertinere Privilegia quæque ab Apostolicâ Sede concessa declarare, & interpretari. Dies nos deficiat, si singulos hìc velimus appellare. Juvabit tamen laudare nonnullos, quos qui consuluerit, eamdem cæterorum esse sententiam facilè comprobabit. *Martinus Laudensis in tractat. de Principibus not.* 17., *Ioannes Andreas in rubric. versic. Et dubium, de Privilegiis, Nicolaus Millis in Repertorio, verb. Iudex fol.*18., *Text. in cap. Cùm venissent, de Iudiciis*, ubi *Innocent.*, *Text. in cap. Ordinarii* §. *Si verò, de Offic. Ordinarii lib.*6., *Antonius de Butrio in cap. Dilecti num.*2. *de Decimis, Abbas Panormitanus in cap. Cùm ad hoc num.*7. *de Clericis non resident.*, & ad rem nostram facit regula uulgaris, quæ habet sui beneficii interpretem meliorem, esse concedentem, *leg. Neratius* 151. *ff. de regul. Iur.*, *leg. In conventionalibus* 52. *de verbor. obligat.*, *Andreas Gambara in tractat. de Offic.*, *& Potest. Legati de Latere lib.*2. *num.*387., ubi dicit, quod solus Papa moderatur, & declarat Privilegia à Sede Apostolicâ concessa, *Clement. de Cens. cap.*2. *de Decimis lib.*6. *cap. Quod Dei timorem, vers. Licet autem de statu Monachi*, & notant *Doctores in cap. Decet de reg. juris in* 6.

Sed est & aliud apud Canonistas communitèr receptum, & assertum, illudque in verbis Pii Quinti relatis insinuatum, nempè Privilegium enormitèr lædens Ecclesiam (quale dubioprocul est illud, quod Monarchiæ suæ concessum jactitant Siculienses) hoc ipso, nullum esse, & invalidum: id constat ex *cap. Suggestum de Decimis, cap. Super eo, de Offic. Delegati, leg.*2. §. *Si quis à Principe, ff. ne quid in loco publico, Abbas in dicto cap. Cùm ad hoc* 16. *num.*3. *&* 7. *de Clericis non residentibus*. Cessat enim Privilegium eo ipso, quo incipit esse damnosum, *dicto cap. Suggestum de Decimis, Abbas loco citato, Gloss. in cap. Rescripta* 35. *quæst.*3.; Addunt Summum Pontificem per Prædecessorem non posse ligari, nec ab ipso posse ei legem imponi, ac impediri quin faciat, quæ pro Ecclesiæ majori utilitate faciendâ judicaverit, *cap. Innotuit, de Elect.*, *Gloss. ultima in cap. final. de rescript. in* 6., *Nicolaus Millis in Repertorio verb. Papa fol.*248., nec Constitutionibus suis, aut sui Prædecessoris potest subiici *cap. Proposuit, de concessione*

Pra-

Præbendæ; Quare ex quacunque causâ justâ potest suum, aut Prædecessoris revocare Privilegium, *cap. Veniens, de præscriptionibus*, *cap. primo de rescript.*; *Gloss. ultima in cap. Decet, de regulis juris in 6.*, *Rebuff. in respons. 8. in versic. Aliàs*, & ad revocandum Privilegium juxta Canonistas sufficit abusus, excessus, & grave aliquod præjudicium fieri auctoritati Apostolicæ, atque Ecclesiasticæ Libertati, ac Jurisdictioni. Audiendus venit hâc de re Gregorius Septimus (apud *Baronium ad Annum* 1078.) scribens Remensi Archiepiscopo, qui Privilegio agebat, quod nonnisi à Romano Pontifice judicari ejus causa deberet, aut ab eo missis Legatis. *Ad id autem*, inquit, *quod de Privilegio dicitis, breviter interim respondemus, quod possunt quædam in Privilegiis pro re, pro personâ, pro tempore, pro loco concedi, quæ iterum pro iisdem, si necessitas, vel utilitas major exegerit, licenter valent commutari; Privilegia siquidem non debent Sanctorum Patrum auctoritatem infringere, sed utilitati Sanctæ Ecclesiæ prospicere; Inde est, quod Arelatensis Ecclesia non solùm à Beato Gregorio Doctore dulcifluo, sed etiam à pluribus ejus Sanctis Antecessoribus, cùm haberet vicem Sedis Apostolicæ, ut omnes Episcopos totius Regni Franciæ ad Concilium convocaret, &c., post aliqua tempora, pro quibusdam causis, prædicta potestas, & auctoritas cessavit, & suam vicem aliis, quibus placuit, Sedes Apostolica concessit.*

Viderint ergo, & intelligant Siculi quàm immeritò, excusandæ gratiâ suæ erga Sedem Apostolicam inobedientiæ, privilegia sibi concessa jactitent,& obtrudant; quasi verò privilegio aliquo subduci possint Ecclesiæ jurisdictioni, Romani Pontificis auctoritati, legitimi, ac Supremi Superioris correctioni; quasi verò privilegio aliquo possit ligari Romanus Pontifex, & impediri, quin faciat ea, quæ pro majori Ecclesiæ utilitate facienda judicaverit; absurdum sanè foret tale privilegium, atque suâ ipsâ absurditate vanum, & nullum, contra Ecclesiæ Iura dispositum, ipsam Ecclesiæ Hierarchiam susdeque evertens, quo, ut loquitur Sanctus Pius Quintus supra laudatus, multa fierent contra Jura humana,& Divina, quodque proindè possit,& debeat Romanus Pontifex antiquare, annullare, abrogare.

Quid post hactenus dicta, excusandis Siculis, possit efficere auctoritas Doctorum, quos consuluisse dicuntur, quibusve rationum momentis eis persuadere potuerint sibi licitum esse Interdictum à Sede Apostolica latum violare, nec videmus, nec etiam suspicari possumus. Multum sanè timendum est, ne hocce in negotio, propriâ sibi illudente cupiditate, coacervaverint sibi Magistros prurientes auribus suis, vel propriis suis commodis potius attentos, quàm puræ veritatis lumen præ oculis habentes,

Sen-

Sententia est (fatemur) inter Theologos communis, quod qui in rebus dubiis, & obscuris operatur, adhibitâ prius consultatione Theologorum, ac Doctorum, liber sit ab omni culpâ; Sed quotquot ità sentiunt, loquuntur cum maximâ cautelâ, quam sic exprimit *Cajetanus in Summâ, verb. Excommunicatio cap.31. versic.4.*, nota: *Si purâ mente, & recto animo, nolentes aliquid contra Ecclesiæ libertatem statuere, aut substinere, consulunt Doctores reputatos &c., seù committunt examen eorum hujusmodi Doctoribus*. Quod hoc pacto, hâcque intentione Theologos consuluerint Ministri Regni Siciliæ, qui Interdicti violationem procuraverunt, adduci non possumus, ut credamus: cum eos & Interdictum Ecclesiasticum cum contemptu violasse, & legitimum Ecclesiasticæ Jurisdictionis exercitium violenter impedivisse, immò, & Ecclesiæ Jura usurpasse, multaque alia Ecclesiæ, Supremoque ejus Capiti valdè injuriosa perpetrasse, pro comperto habeamus.

Sed relicto Cajetano præstat audire Cardinalem à Turrecrematâ rem hanc longè uberius explicantem *Summæ suæ lib.4. cap.17.*, ubi ex professo difficultatem, quam agitamus, pertractat sub hoc titulo. *De Auditoribus diuersorum Magistrorum tenentium varias opiniones: an excusantur à peccato opiniones eorum sequendo, etiamsi sint contra veritatem Catholicæ Fidei*. In hoc porrò capite duo inter alia consideranda proponit, nempe de Doctorum opinantium conditionibus, & de efficaciâ rationum, & fundamentorum, quibus isti Doctores astruunt suas opiniones. Circa primum hæc habet ad propositum nostrum. *Secunda consideratio principalis*, inquit, *est de Doctorum diversa opinantium conditionibus, scilicèt quales sint, si famosi, si experti in facultate suâ, si moribus graves, si judicio humiles, ut magis delectentur sequi Sanctorum Patrum doctrinas, quàm adinventiones proprias, & fantasias. Secundum hanc considerationem potest esse ista conclusio; non videtur esse omninò immunis à peccato, qui in materijs fidem,* & bonos mores, *tangentibus non nititur sequi opinionem Magistrorum magis doctorum, & celebrium, ac expertorum in facultate sua, & qui in moribus graviores existunt: aliàs videtur habere locum verbum Euangelii, si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt: debet enim quilibet in hujusmodi materiâ animum conformare regularitèr Doctoribus, qui Sanctorum Patrum Doctrinis magis soliciti sunt adhærere: Unde Ecclesiastici 8. dicitur, ne despicias narrationem Presbyterorum, idest Doctrinam Seniorum Doctorum, & in Proverbijs eorum conversare, idest secundum eorum Doctrinam vive: ab istis enim disces sapientiam, scilicèt Divinorum, cujusmodi sunt credibilia, & Doctrinam intellectus idest Bonorum morum, in quibus vita fidelium est adornanda*. Ecce profectò quales debent

bent esse Doctores, & Theologi, quos in rebus ad fidem, & bonos mores spectantibus consulere debemus, ut eorum placitis adhærentes non peccemus; Si tales in consilium sibi ascivissent Ministri Regni Siciliæ, procul dubio ab iis didicissent sibi non fuisse licitum, sub prætextu cujuslibet privilegii, Interdictum à legitimo Superiore latum, atque à Sede Apostolicâ approbatum, ac confirmatum violare, aut ne observaretur, impedire, quia id fieri non poterat sine gravi Apostolicæ Jurisdictionis injuriâ, & contemptu; sine communis Ecclesiæ boni notabili detrimento; sine perniciosissimo proximi scandalo. Didicissent rursum ab eis, in rebus dubiis obediendum semper esse Superiori, nec sine crimine ei posse resisti, asserentibus scilicet omnibus Theologis, quod scrupulus, vel dubitatio circa præcepti obligationem, vel circa obedientiæ hic, & nunc præstandæ necessitatem, satis non est ad obedientiam superiori debitam licitè denegandam, & quod Superior Jus habeat præcipiendi, & obedientiam exigendi; quo jure non possit eum spoliare subditus propter suam dubitationem, cùm in dubiis melior sit conditio possidentis: dicente quoque *Sancto Bernardo de Præcepto, & dispensatione*, quod *quidquid vice Dei præcipit homo, quod non sit certum displicere Deo, haud secùs omninò accipiendum est, quàm si præcipiat Deus*; dubitare porrò debuerunt hi Ministri de bonitate suæ actionis: quia etiamsi Theologos, & Jurisconsultos, quos interrogarunt, sibi faventes habuerint, alios, eosque numerosiores, atque inter illos Romanum Antistitem, pluresque Episcopos, in decidendis hujusmodi controversiis auctoritate certè prævalentes, sibi fuisse contrarios ignorare non potuerunt. Meminisse tandem debuerunt Roboamum Regem, *teste Sacro Eloquio* 3. *Reg.* 12. fuisse condemnatum, *quia reliquit Consilium Seniorum, quod dederant ei*, idest Virorum, scientiâ, prudentiâ, moribus, experientiâ, atque ætate graviorum, *& adhibuit adolescentes, qui nutriti fuerant cum eo*: adeo verum est non semper irreprehensibiles esse Reges, Principes, eorumque Ministros, quod priusquam operi manum admoverent, consuluerint Theologos, nisi tales consulere studuerint, quales supra ex *Cardinale Turrecrematâ* descripsimus. Sanè neminem latet solitos esse Reges, ac Principes omnes Catholicos in rebus gravioris momenti, & maximè ubi agitur de dispendio animæ, adhibere consilium Theologorum, Jurisperitorum, & Ministrorum suorum; Ergone propterea veniunt semper eximendi ab omni peccato? Quis Theologorum hoc dixerit unquam? Non sic profectò sentiebat Innocentius Papa Undecimus, dum aliquando Regem Christianissimum sic interpellabat: *Dabis, Charissime Fili, Pastoralis Officii debito, dabis paternæ solicitudini, atque amori in te nostro, si te malè*

con-

consulentium culpâ in summo æternæ salutis periculo constitutum videntes, opportunè, importunè instamus, obsecramus, elatâ voce clamantes, ut è tam præcipiti loco pedem referas.

Sed audiamus iterum Cardinalem doctissimum à Turrecrematâ explicantem ulterius, quid facto opus sit, ut doctrinam Magistrorum sequentes non peccemus.

Tertia consideratio, inquit, *est habenda circa motiva, & fundamenta, quibus Doctores suas opiniones fundare, & fulcire nituntur. Quæ consideratio meritò est habenda, tum quia in dubiis non de facili est præstandus assensus: unde Ecclesiastici 19. dicitur, qui citò credit, levis est corde. Tum quia, quæ præstantiori ratione, aut efficaciori motivo fulcita sunt, cùm sint majoris auctoritatis, aliis præferenda veniunt. Secundùm quam considerationem posset poni talis conclusio. Quod culpandus venit, qui absque hujusmodi investigatione diligenti, & consideratione rationum, & motivorum, quibus Doctores suas varias fundant opiniones, levitate quadam animi amplectitur opinionem contrariam veritati: agit enim contra illud Iob 29. Causam, quam nesciebam, diligentissimè investigabam. Et Ambrosii lib. de Paradiso: Nemo debet se alteri credere, nisi cujus virtutem probavit.*

Patet itaque ex omnibus istis neminem cujuscunque status sit, & conditionis, sibi ipsi debere nimium adblandiri, existimando actionem suam esse sine peccato, quod aliquos præconsuluerit Theologos, ac Doctores, nisi & doctiores, & meliores quæsierit, atque interrogaverit: ac libratis hinc indè eorum rationibus, ac momentis, illi sententiæ sese accomodaverit, cujus rationes, & momenta fuerint præstantiora, & efficaciora; juxta illud *S. Ioannis Chrysostomi hom.44.in Matth.*: *Si vestimentum empturus unum giras Negotiatorem, & alterum, & ubi meliores vestes inveneris, & pretio viliori, ab illo comparas: an non oportet circuire omnes Doctores, & inquirere, ubi sincerè veritas Christi venundatur, & ubi corrupta, & vertorem potius eligere quàm vestimentum?* Hinc meritò *Lactantius lib.3. cap.13.*: *Ne trahamur auctoritate cujusquam, sed veritati potius accedamus: Nullus hic temeritati locus est, in æternum stultitiæ pena subeunda est, si aut persona inanis, aut opinio falsa decipiat.*

Consultò hic nonnulla prætermittimus, quod ea vix quemquam latere posse existimemus. Istud inter alia, non pertinere ad Subditos examinare, aut determinare, quid Papa possit, aut non possit, an sit ei obediendum, vel non obediendum: Nemo enim rationis compos non videt actum, ac conclamatum fore de potestate Ecclesiæ Capitis, si id licitum esset in controversiam adducere, saltem ubi præceptum datum fuerit verbis claris, apertis, & sine ambiguitate conceptis; id patet ex *cap. Si quis suadente, vers. licèt 17. quæst.4.*, vbi dicitur, *similitèr de Iudicio*

Summi

Summi Pontificis disputare non licet; Unde Nicolaus Papa Primus ad Michaelem Imperatorem scribens ait: *nemini est Sedis Apostolicæ Iudicium, aut illius sententiam retractare permissum*. Hinc quoque *Franciscus Victoria relect.4. de potestate Papæ, & Concilii, propositione 16. num.17.* ait, *quod determinare quæ sit potestas spiritualis alicujus, est Iurisdictio, & pars gubernationis, quæ non spectat ad Subditos erga Superiores, & ideo non convenit Subditis, quia esset in turbationem, & dissolutionem Hjerarchiæ, & auctoritatis Ecclesiasticæ, si quilibet dicere posset, Papa non potest*: immò, ut optimè dicit *Vargas de Episcopor. Iurisdict. confirmat. 13.* si cuilibet esset licitum dicere, Papa non præsumitur hoc velle. Quando igitur *Navarrus, Cajetanus, & alii Theologi* pronunciant immunem esse à peccato eum, qui præconsuluit Theologos, intelligendi sunt solum in casu, quo Lex, vel Canon, vel Superioris voluntas, ac præceptum dubia sunt, obscura, & incerta: quia tunc consulentes Theologos, modo supra ex Cardinali Turrecremata explicato, si quid contra legem, vel mandatum Superioris postea faciunt, excusantur propter ignorantiam invincibilem, nec tales videntur esse contumaces, aut contra Superiorem, ejusve præceptum attentare aliquid velle. Secus verò ubi Superior, præsertim Supremus Ecclesiæ moderator, quidquam jubet, aut determinat maturo consilio, causa discussa, claris, & apertis verbis, uti factum est in casu præsenti; Unde tantum abest, ut Ministri Siculi excusandi veniant, eo quod Theologorum, quos iu consilium admiserunt, sententiam sunt sequuti: quin ex hoc ipso, quod illos hâc super re consuluerint, sunt accusandi.

Huicce dissertationi dum finem imponimus, juvat ex Doctrinâ Sancti Thomæ breviter notare, qualiter Inferiores teneantur Superioribus obedire: Ne forte quis Interdictum Pontificium violantes putet excusandos titulo obedientiæ potestati laicali, tanquam Superiori, & auctoritatem habenti, debitæ. Inquirit scilicèt *Sanctus Doctor 2. 2. quæst. 104. art.5.* Utrum Subditi teneantur Superioribus in omnibus obedire? Et respondet, Subditos in iis tantummodò suis Superioribus teneri morem gerere, in quibus ipsi suis Superioribus subiiciuntur, & in quibus ipsi Superiores sublimioris potestatis præcepto non adversantur. Hinc super illud *ad Romanos 13.*: *Qui potestati resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt*, dicit *Gloss. sumpta ex Sancto Augustino lib.6. de verbis Domini, serm.6. cap.8.*: *Si quid jusserit Curator, nunquid est tibi faciendum, si contra Proconsulem jubeat? rursum, si quid Proconsul jubeat, & aliud Imperator, numquid dubitatur illo contempto, isti esse serviendum? ergo si aliud Imperator, aliud Deus jubeat, contempto illo obtemperandum est Deo*. Quibus omninò similia scripsit *Sanctus* Ber-